
PHILALETHIS
TRIAS
SCHEDIASMATUM
1695.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-357 8° 3506



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-357 8° 3506

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-357 8° 3506



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-357 8° 3506



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-357 8° 3506



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-357 8° 3506

1,-357-8

DET KONGELIGE BIBLIOTEK
DA 1.-2.S 1 8°

1 1 01 0 8 03506 7

+REX

BIBLIOTHECA REGIA HAVNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-357 8° 3506

Ignoti Philalethis TRIAS SCHEDIASMATUM de nonnullis ad APOCALYPSEOS Interpretationem intellectumque ſpectantibus.

Ignoti Philalethis

TRIAS

SCHEDIASMA-

TUM

de nonnullis

ad

APOCALY-

PSEOS

Interpretationem

intellectumque

ſpectantibus.

HAFNIÆ,

Anno M DC XCV.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-357 8° 3506

APPROBATIO.

E cantu ſuô facilè dignoſcitur avis, etiamſi non viſa; & è ſcripto ſuô pariter eruditiſſimus Auctor, etiamſi non nominatus. Qvi vel in tribus hiſce ſcholis, ſe præſtitit ſui ſimilem, & cum Chilone, Παῦρα μὲν, ἀλλὰ σοφὰ, προσφθέγγεται ὁ πολύμυθος.

Hafniæ die 22. Decembr. Anno 1695.

H. Bornemann. D.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-357 8° 3506

Schediasma I.

De Hoſmanni Machæropœi Apocalypticis meditationibus, aliisque recentiorum in Apocalypſin ſcriptis.

I.

ROgato ſententiam dicere, Matthæi Hoſmanni ſive Machæropœi, qui Wratiſlaviæ, primus poſt pacem Oſnabrugenſem, Lutheranus fuit verbi divini miniſter, Apocalypticis de meditationibus, & præcipuè ejus de Chronotaxi: atq; ſimul etiam enarrare, qui ſive pro aut contra ipſum ſcripſere, ſive aliàs notatu digna ſuper Apocalypſi nuper edidere, hæc de illis venerunt in mentem. Quæ in Hoſmanni Clave Apocalyptica habentur, eorũ pauca ullius ſunt pretii utilitatisq;, pleraq; autem omnia vana, ſomniisque conſimilia; & forſan ab auctore ipſomet non ſunt ſcripta, ſed poſt ejus mortem ſive ficta, ſive interpolata atq; corrupta, ab aliisq; pro Hoſmannianis falſo venditata. Chronotaxis tamen Apocalyptica ejusdem Hoſmanni, quam mihi quoque commendavit Vir Ampliſſimus atq; Nobiliſſimus D. Maſius, multo uberrimam meretur laudem. Siquidem ſine vera temporum Apocalypticorum ratione atq; notitia, cujus genuinam viam, primus in hoc ſcripto

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-357 8° 3506

aliquatenus detexit Hoſmannus, & ſine cæteris potioribus ejus principiis, in eodem ſcripto monſtratis, Apocalypſeos verum, ſpecialem & propheticum ſenſum, in plerisq; impoſſibile eſt, aut explicare aut intelligere. Ideoq; & illi qui aut ante Hoſmannum, in Apocalypſin ſunt quid commentati, aut poſt ipſum quidem id fecere, ejus tamen conſilia & methodum in Chronotaxi monſtratam, prorſus neglexere, ſpecialem & propheticum Apocalypſeos ſenſum, niſi in perpaucis extra temporum ſeriem, capite 12. 13. 14. 17. & 18 propoſitis, fere ex toto ignorarunt, ejusq; pæne nihil viderunt. De memet qvoq; fateri debeo, qvamqvam viginti & amplius annis Apocalypſi intelligendæ invigilaveram, tamen anteqvam Hoſmanni Chronotaxin legiſſem, Apocalypticarum prophetiarum, præſertim in capitibus undecim prioribus, vix verſum ſive lineam, in ſua genuina ſpeciali & prophetica intellexiſſe ſententia, neq; uberioris melíorisq; intellectus ſpem ullam mihi fuiſſe: nihil juvante Calovio in Bibliis illuſtratis, Matthia Hoco, Kromayero, Johanne Lucio, Joſepho Medo, Henrico Moro & aliis, viris cætera doctiſſimis, ipſorum in Commentariis expoſitionibusq;: quippe quibus plerorumq; negotiorum Chronotaxis ſive vera temporum ratio ordoq;, ſine quo conatus interpretandi, ſicut dixi, in plerisq; nullum habere poteſt ſucceſſum, & fruſtra tantum ſuſcipitur, aut ne audita quidem eſt, aut ſi audita quidem eſt, ne credibilis quidem viſa & habita eſt; ideo verum & genuinum ſenſum ſæpius obſcurantibus, rarius autem illuſtrantibus, Ut verò annô 1689.

gran-

grandi [& ſtupenda ejus anni, per Britanniam magnam mutatione factâ invitatus, dictam Hofmanni Chronotaxin accuratius diligentiusq; perlegere atq; conſiderare cœperam, tum demum, de intellectu libri hujus prophetici & Johannæi, ſpem aliquam me concepiſſe & quaſi reſpirare cœpiſſe. Manet ergo, Hofmanni Chronotaxin, ſcriptum eſſe utiliſſimum laudeq. dignisſimum.

2. Nihilo tamen minus, certum etiam eſt, Hofmanni eandem Chronotaxin, utut alias ſummum laudis meritam præconium, habere tamen quæ caſtigationem mereantur quoq;, & pæne totum ejus inſtitutum turbant. Inter quæ duo ſunt præcipua. *Unum* eſt, quod non diſtinxerit ſatis, inter Apocalypſeos periodos Chriſtianas & antichriſtianas, easq; in unum quaſi confuderit: cum magnum tamen inter easdem ſit diſcrimen: quippe nec eandem in Apocalypſi peculiarem habentes ſedem, nec eandem quantitatem, nec idem initium finemque: de quibus vide quæ in Auctario Schediasmatis ſecundi hic dicta ſunt & propoſita. *Alterum*, quodq, adhuc gravius eſt, hocce exiſtit, quod periodos Chriſtianas juſto faciat majores, nempe unamquamque ponens eſſe annorum 343. Id quod veritas neutiquam patitur. Nam quod eodem Schediasmate 2, eſt demonſtratum, periodorum Chriſtianarum, excepta ultimâ, cujus quantitas ignoratur, nulla trecentis major eſt annis: & quod maxime probabile, ſicut ibidem oſtenditur, occurrit, nulla quoque eſt plusquam 294 annorum. Error autem hic Hofmanni, quo periodos ita ut dictum eſt, nimis

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-357 8° 3506

conſtituit magnas, eſt perquam gravis, & qui Hofmanniana plane turbat tandem. Facit enim, ut periodum quintam ducentis circiter annis, inchoet prius quàm revera incepit. Unde in periodo quarta & præcipue in quinta, ultra quam progredi Hofmannum, mors obrepens non permiſit, maxima confuſio. Quanquam enim nihilo ſecius periodos quatuor primas, apte & ſcite in plerisq; interpretatur, errore ibi, quia pauciorum eſt annorum, præcipue in tribus prioribus periodis, non admodum pateſcente: tamen in quarta eminere incipiens, ita pervertit & confundit quintam, ut in ea omnia ſurſum miſceat & deorſum: atq; intolerandô vitiô, locuſtas tubicinii quinti explicet de Jeſuitis: cum veræ & genuinæ Apocalypſeos locuſtæ, plusquam trecentis annis præçeſſerint Jeſuitas, genuinamque ſequendo chronotaxin, reperiantur eſſe monachi mendicantes, quorum principes erant Dominicani & Franciſcani, qui unà cum vero initio quintæ periodi, nempe paulo poſt annum 1200. emerſerunt. Quô tempore eos emerſiſſe, atq; ingentes eccleſiæ Chriſtianæ peſtes fuiſſe, Hoſpinianus de origine monachatus, Uſſerius de ſucceſſione eccleſiarum, aliiq; plures oſtenderunt.

3. Atq; hi ſunt potiſſimi Hofmanni in Chronotaxi ejus errores, & qui ejus inſtitutum magna ex parte perturbarunt. Demtis autem illis erroribus, & quæ ex illis neceſſario conſequuntur, interpretationibus falſis, cætera Hofmanni in ejusdem Chronotaxi, pleraq; & ſana ſunt, & Apocalypſin ad explicandam non utilia modò, ſed & prorſus ac plane neceſſaria ſunt, ut & antea dixi.

4. Quod

4. Quod verò nonnulli, id quoq; pro capitali errore, in Hofmanni habent Chronotaxi, quod inſertas capite Apocalypſeos 2 & 3. epiſtolas ſeptem, affirmet eſſe propheticas, & prædicentes ſtatum ſeptem eccleſiarum generalium, usq; ad finem mundi: id longe ſecus habet. Nullus enim in illo eſt error, dummodo epiſtolas illas, ſimul propheticas, ſimul hiſtoricas habeamus; hiſtoricas quidem quatenus indicant ſtatum ſeptem eccleſiarum Aſiaticarum, quæ Johannis Apoſtoli tempore exiſtebant: propheticas autem, quatenus ſimul depingunt ſeptem generales eccleſias, quæ in ſeptem periodis Chriſtianis ſibi invicem, ad judicium usq; exrremum ſuccedent; ut ſic ſeptem Aſiaticæ eccleſiæ, ſeptem generalium eccleſiarum typus exiſtant. Neq; abſurdum cenſeri debet, typos quoq; in Novo reperiri Teſtamento. Nam ejus alia quoq, occurrunt exempla. Velum enim templi, in morte & paſſione Chriſti ſciſſum, typus erat ejus, quod quæ hactenus in lege cæremoniali Chriſtum obſcure adumbraverant, morte Chriſti eſſent abroganda & quaſi conſcindenda. Atq; in eadem morte Chriſti factus terræ motus, futurarum mutationum, nec non lapides diſſilientes, cordium lapideorum in converſione ad Chriſtum ſcindendorum erant typus. *Glaſſius* Philologiæ libro 2. pag. 416. ficum Matth. 21. exareſcentem, ait typicè monſtraſſe futurum Iſraëlitici populi excidium. Atque *Gerhardus*, locô de extremo judicio; numero 86. ſigna vaſtationem Hieroſolymæ præcedentia, atq; Lucæ 21. memorata, dicit fuiſſe typum ſignorum diem extremum præceſſurorum. Nihilo magis abſur-

 dum

dum cenſeri debet, ex eo apocalypticarum epiſtolarum intellectu conſequi, eas duplicem habere ſenſum, alterum hiſtoricum, alterum propheticum. Nam alia quoq; ejus etiam rei ſacris in Scripturis habemus exempla. Verba enim Exodi 12. v. 46. Os agno non confringetis, omnino duplicem talem habent ſenſum: alterum hiſtoricum de agno paſchali, & alterum, ipſo Johanne Evangeliſta cap. 19. v. 36. interprete, propheticum de ipſomet Chriſto. Atque conciliari hoc facile cum eo poteſt, quod Theologi vulgò negant, unius dicti duplicem eſſe poſſe ſenſum. Nam id intelligunt de duplici ſenſu toto, pleno & integro: Licet enim ſenſus totus plenus & integer unicus exiſtat, ex pluribus tamen partialibus & ſemiplenis, quales hîc hiſtoricus ſunt atq; propheticus vel myſticus, conſtare poteſt; ſicut unà cum Hulſemanno Scherzerus in Breviario Hulſemanniano, ubi de variis Scripturæ agitur ſenſibus, docet oſtenditq;.

5. Tantum de Hofmanno ipſo. Quod ad illos attinet, qui ſive aut pro Hofmanno aut contra ipſum ſcripſere: ſive alias notatu digna de Apocalypſi nuper edidere; accepi Loniſium quendam in Germania, juxta methodum Hofmanni Apocalyptica quædam conſignaſſe & edidiſſe. Sed ea nec vidi nec legi. *Heuniſchium* legi, qui diverſa ſecundum Hofmanni methodum, elaboravit ediditq; ſcripta. Quorum unum, complectitur Notas in Hofmanni Clavem Apocalypticam, ſed perpauca habens, quæ ullius ſunt momenti. Melius ejus ſcriptum eſt Germanicum illud, quod Antichiliaſmum appellat.

In

In eo Hofmanni veſtigia premens, præclare & vere dicta, quæ haud temere apud alios reperias, habet multa; ſed cum illis quoq;, quod dolendum, ſimul non pauca falſa: ut errorem interpretantem locuſtas de Jeſuitis: & alium, qui Papatus initium nimis abſurde refert, ad octavum à Chriſto nato ſæculum. *Aletophilus* quidam in Nucleo mellito, quem Noribergæ anno 1689. in octavo ut vocant, imprimi curavit, in nonnullis ſequitur Hofmannum, in aliis ab eo diſcedit. *Calovius* in Bibliis illuſtratis, Hofmannum nunc laudat μακαρίτην appellans, nunc culpat, falſum prophetam vocans. *Joh. Lucius* prolixo & non indocto opere Germanico, in Apocalypſin editô, ſæpe recitat *Hofmanni* verba & ſententias, ſed plerumq; eas rejicit: idque utplurimum, quod in iis non ſatis intellexerit *Hofmannum*. *Job. Markius* Reformatus Doctor, Commentario in Apocalypſin, *Hofmanni* profeſſum & acerrimum ſe declarat hoſtem, præcipue in periodis ejus oppugnandis. Sed eum magis adoritur, aut meris frivolè pro auctoritate ſua prolatis, ſuismet aſſertionibus, aut irriſionibus & convitiis, aut ſophismatibus, aut denique levibus quibusdam ratiunculis argutiolisq;, quam argumentis ſolidis; alias quoq; nimis ſe inflatum tumidum & temerarium oſtendens: & cui in oppugnandis, immo & exſibilandis à ſemet diſſentientibus, inter gravisſima argumentorum pondera ſolet eſſe, ſic mihi videtur, & ego ſic dico: ſæpiusq; in more, falſas & intolerabiles, quàm veras aut ſaltem tolerabiles amplecti expoſitiones. Poſſunt quoq; tandem adhuc plures eſſe, qui de *Hofmanno* egere, ſed qui mihi non innotuerunt.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-357 8° 3506

6. Ad alios deniq; quod ſpectat, qui de Apocalypſi notatu digna ediderunt nuper, ut aliquos tantum potiores commemorem: omnino legi meretur ſcriptum Gallicum *Jurii*, de complemento prophetiarum, quod exſtat quoq; Germanice interpretatum. Legenda autem potiſſimum eſt poſterior editio, quæ multò auctior eſt priore. Ideo autem hocce ſcriptum Jurii legi meretur, quod phialas apocalypticas intelligendi viam, antea prorſus & penitus ignoratam, primus in eo ſcripto aliquatenus detexerit; intercurrentibus quidem erroribus iisq; non parvis, ſed qui veniam tamen merentur, utpote illius qui primus hoc tentavit iter. Diverſi ejusdem cum Jurio religionis ſocii, nempe Reformati, oppugnarunt quidem ejus de phialis ſententiam. Sed iis poſtea Jurius, in Apologia pro Complemento prophetiarum, ut accepi, reſpondit. *Markius* ſuo Apocalyptico in Commentario, ejusdem Jurii de phialis infeſtans doctrinam, ſuo quem antea memoravi, utitur more. Neq; contemni debet *Heideggeri Babylon magna.* Nam in ea auctor, corrigit illum vulgarem errorem, quô Babylon Apocalyptica, putatur eſſe tantem urbs Roma: oſtenditq; potius eſſe hierarchiam Romanam, adeoq; regnantem Romanæ Eccleſiæ Clerum, qui revera diverſus eſt ab urbe Roma, & licet in ea regiam ſuam habeat, alibi tamen reperitur quoq;. Habetq; in eo Heideggerus Apocalypſin ipſam, manifeſto ſibi ſuffragantem: quippe quæ meretricem magnam id eſt Babylonem Apoc. 17. v. 14. clare diſtingvit à loco ſeptem montium ſive Roma urbe, tanquam meretricis ſede principali & potiſſima, adeoq; regia & metropoli. O-

mnino

mnino enim diverſa ſunt ſedes vel locus & quod eſt in illa ſede vel loco.

7. Permulta quoque de Apocalypſi obſervatu digniſſima monuit Vir Ampliſſimus atq; Nobiliſſimus D. *Wandalinus* in doctiſſima & erudiriſſima ſua Chiliasmi conſideratione. Juxta ac Nobiliſſimus *Sandenhagius* in decade prima epiſtolarum, atque introductione Germanica in Acta Chriſti & Apoſtolorum: nec non Ampliſſimus atque Celeberrimus D. *Spenerus*, in Germanice edita Defenſione ſpei, de melioribus futuris temporibus, aliique Germani ſimilibus ſuis in ſcriptis. Epiſcopus quidam Britannus fertur ſcriptum in Apocalypſin & utile & permagnum nunc imprimi curare. Sed nondum aſpexit lucem. Quæ *Witſius* in Miſcellaneis ſuis ſuper epiſtolarum apocalypticarum propoſuit ſenſu, commendari mererentur, niſi quod potiſſimum oporteret quæri ſpectarique, nimirum veritas, magna ex parte in illis deſideraretur. Certum enim eſt, principalem Witſii concluſionem eſſe falſam, nempe qua contendit, ſenſum illarum epiſtolarum eſſe mere hiſtoricum, in illisq; unice agi de Aſiaticis ſeptem eccleſiis: cum ex Apoc. 1. v. 20. & cap. 2. v. 1. & ſequentibus, nec non epiſtolarum illarum contextu manifeſtum ſit, eas quoque proponere myſterium ſeptem lychniarum & ſeptem eccleſiarum: illudq. myſterium, ut ex Apoc. 1. v. 20. nec non cap. 22. v. 16. liquet, Apocalypſeos totius ſit argumentum. Eſtne enim vel verum vel veriſimile, ignobiles maxima ex parte ſeptem Aſiæ eccleſias, & quarum plerarumq; in cætera antiquitate eccleſiaſtica, vix exſtat memoria, totius apocalypſeos eſſe

argu-

argumentum? Et nulla, in Witſiana illa Diſſertatione, ſolida eſt ratio, quæ evincat, illis in epiſtolis ſolas ſeptem Aſiaticas eccleſias, & non potius una cum eis ſeptem eccleſias generales intelligi ſignificarique. Eſt & inter recentiſſima in Apocalypſin edita ſcripta, *Boſſuetti* Epiſcopi Meldenſis in Gallia, Explicatio Apocalypſis, anno 1690. Gallicè edita; ſed Papiſticis unice ſerviens hypothesibus, eóq; tantum facta atq; comparata, ut novis quidem meditationibus, ſed ſimul falſiſſimis abſurdiſſimisq;, apocalypticarum prophetiarum de antichriſto nec non Babylone magna, ſenſum verum obnubilet atq; obſcuret. Refutarunt eam ex Reformatis *Boyerus* in libro Gallico, qui dicitur Condemnation de Babylone, & Anonymus in ſcripto, quod vocat, Reflexions ſur l'explication de l'Apocalypſe de Mr. l'Eveque de Meaux, id eſt Obſervationes ſuper Epiſcopi Meldenſis expoſitione Apocalypſeos. Sunt & adhuc plures recentiores, qui de Apocalypſi meditationes nuper edidere. Sed dixi me poriores duntaxat quosdam eſſe memoraturum. Reliqui etiam aut parvi ſunt ponderis, qualium non paucos poſſideo, aut ad meam non pervenerunt notitiam. Si quis autem vehementius eos diſcupiverit ſcire, eam notitiam in illis ſcriptis, quorum eſt inſtitutum, quoslibet libros, bonos, malos, mediocres, commemorare, poterit quærere: veluti in Diariis, Actis, Relationibus, Hiſtoriis eruditorum Pariſienſium, Lipſienſium, Roterodamenſium, Amſtelodamenſium,

aliorumq;.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-357 8° 3506

Schediasma II.
De Chriſtianarum in Apocalypſi periodorum quantitate vera.

Vera Chriſtianarum in Apocalypſi periodorum quantitas, ſequenti indagatur via.

I.

Quanta eſt prima periodus, tantæ etiam ſunt reliquæ, exceptâ ultimâ, cujus certa quantitas haberi nequit, quia in eam incidit finis mundi. Niſi autem cæteræ periodi ſint æquales, vera & certa Apocalypſeos inveniri nequit interpretatio: & prout quisq; hanc vel illam periodum pro arbitratu majorem fecerit vel minorem; ita etiam pro arbitratu Apocalypſeos interpretabitur prophetias. Atq; ſic omnia confuſa, incerta, lubrica & arbitraria erunt. Verum ergo manet. quanta eſt periodus prima, tantas etiam eſſe reliquas, exceptâ ultimâ.

2. Primæ periodi hiſtoria, adeoq; & quantitas, tum in aliis Apocalypſeos imaginibus, tum etiam in pugna Michaelis & draconis, ejusq; exitu, à parte Michaelis victorioſo, à parte draconis luctuoſo comprehenditur. Itidem continetur in imagine mulieris parturien-

turientis & tandem parientis puerum maſculum, qui raptus ad thronum Dei virga ferrea gentes regit cunctas. Nam ſigilli primi arcus & victoria, queis certum eſt contineri periodum primam, idem ſunt atq; pugna Michaelis & draconis, unà cum ejus victorioſo exitu, ſive exercitus Michaelem ſeqventis victoriâ per verbum teſtimonii & dejectionem draconis è cœlo in terram. Eademq; pugna Michaelis atque draconis ejusq; exitus, eſt eadem quoq; hiſtoria, atq; prædicta mulieris parturitio partusq;.

3. Incipit ergo prima periodus, cum pugna Michaelis atq; draconis incipit: item cum parturitio mulieris incipit. Definit autem periodus eadem cum dracone ex cœlo in terram dejecto, mulieris puer maſculus jam natus & ad thronum Dei raptus, virgâ ferrea cunctas incipit regere gentes.

4. Pugna Michaelis & draconis, eſt conſtantia primorum Chriſtianorum in profesſione Evangelii, ſub ethnicorum imperatorum perſecutione. Et draco eſt eorum temporum, in Romano imperio ethnicismus perſequens Chriſtianos: vel quod eodem vergit, ſatanas per eundem ethnicismum, perſequens Chriſtianos. Dejiciturq; draco de cœlo in terram, cum ethnicismus perſequens Chriſtianos, ex imperii & magiſtratus deturbatur ſolio, humiq; proſternitur, id eſt ad plebejum & humilem ſimplicium civium ſubditorumq; redigitur ſtatum.

5. Parturitio mulieris eſt eccleſiæ, multos per dolores & perſecutiones, illuc præparatio, ut imperium ejusq; poteſtas & auctoritas, ad Chriſtianos devolveretur tandem. Ea quæ parturitio, una cum

initio

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-357 8° 3506

initio eccleſiæ Chriſtianæ incepit. Nam Tiberius imperator, cujus tempore eccleſia Chriſtiana cœpit, Chriſtianis, ut Tertullianus Apologetici capite 5, & Euſebius Hiſtoriæ Eccleſiaſt. libro 2. cap. 2, teſtantur, favit, & Chriſtum in Deorum nitebatur referre numerum. Ex parturitione natus puer maſculus, qui ad thronum Dei raptus, virga ferrea omnes regit gentes, uti & Ampliſſ. D. Wandalinus, cenſet, eſt ipſe ſupremus imperii magiſtratus Chriſtianus, vel imperatores Chriſtiani, ſive eorundem Imperatorum, regimen, ſtatus & poteſtas admotorum ſolio vel throno imperii Romani: quod ſolium, Dei dicitur ſolium, quia omnis à Deo eſt poteſtas & maximè Chriſtiani, ejusq; ſupremi magiſtratus poteſtas, quam ut ſolium ſuum peculiariter regit Deus. Non tamen hoc locô eſt quorumvis Chriſtianorum Imperatorum regimen ſtatus & poteſtas, ſed eorum qui totius imperii ſunt præpoſiti ſolio, & deinceps ethnicorum à Chriſtianis in toto imperio avertunt perſecutionem; ſiquidem hic puer ferreâ virgâ omnes dicitur regere gentes: & quamdiu ethnici imperatores partem adhuc gubernabant imperii, perſecutioq; ab ipſis mota adhuc durabat, nondum hicce puer, omnes gentes ferreâ regebat virgâ. Tunc itaque ferreâ illa virgâ omnes regebat gentes, imperabatq; illis, cum dejecto prorſus & in totum à cœlo vel imperii ſolio dracone ſive ethniciſmo, torius imperii auctoritas, poteſtasq; facta erat Chriſtianorum, perſecutioq; ab ethnicis mota imperatoribus, in toto ceſſaverat imperio. Atque tunc etiam completum eſt illud Apoc. 12. verbum. Nunc ſalus & poten-

potentia & regnum, facta ſunt Dei noſtri & poteſtas ſumma (ἐξȣσία) facta eſt Chriſti ipſius: quoniam dejectus eſt accuſator fratrum noſtrorum &c.

6. Virga ferrea, quâ puer maſculus ſive Chriſtianorum imperatorum poteſtas, auctoritasque totum adminiſtrans imperium, omnes imperii regit gentes, id eſt, eas coërcet, ſibiq; ſubjectas habet; & quaſi confringit, comminuitq; eas, ut id Pſalmi 2. v. 9. explicatur; ea inquam virga ferrea vel ſceptrum ferreum, eſt evangelium. Virgâ autem hacce ferreâ ſive evangeliô, Chriſtianorum imperatorum poteſtas, omnes imperii Romani regit, vel coërcet, compeſcitq; gentes: partim quatenus Deus per & propter evangelium hocce propagandum, Imperatoribus Chriſtianis, eam gubernandi & compeſcendi gentes dedit poteſtatem: ut ideo etiam Conſtantino M. qui primus tandem totius imperii nactus eſt poteſtatem, atq; ethniciſmum è ſolio prorſus & penitus esſet deturbaturus, è cœlo ſignum crucis, tanquam nota evangelii, unà cum hiſce verbis: in hoc vinces, ſit oſtenſum monſtratumque: partim quatenus imperatorum Chriſtianorum poteſtas, libertate profitendi evangelii in toto imperio proclamatâ & legibus ſancitâ, gentium in Romano imperio inſultationes in Chriſtianismum compeſcit, ſimulque Chriſtianorum perſecutiones ſopit & coërcet.

7. Dolores mulieris parturientis & parientis ſunt prædictæ perſecutiones ab ethnicis motæ imperatoribus. Eædemq; perſecutiones ſunt quoq; tubicinii primi grando; ſicut & Apoc. 16. v. 21. gravis afflictionis, perſecutionisq; imago eſt grando. Ignis grandi-

grandini illi conjunctus, eſt ignis & fulmen maledicæ linguæ, & conviciorum ſententiarumq; condemnantium Chriſtianos: de queis conviriis ſententiisq; contra Chriſtianos multa, Minutius, Arnobius, Tertullianus & alii veteres, ex iisq; Kortholtius in ſcriptis de perſecutionibus Chriſtianorum primorum & calumniis in illos. Et uſitatum erat ethnicorum in Chriſtianos verbum, Chriſtianus ad beſtias, ad leones. Sic & Jac. 3. v. 5. lingua maledica dicitur ignis, atq; Prov. 16. v. 27. impius labiis ſuis dicitur eſſe, ut ignis ardens, & Pſal. 57. v. 7. quaſi flamma. Idem in pugna Michaelis & draconis Apoc. 12. v. 10. exprimitur per accuſationem fratrum noſtrorum nocte ac die. Sangvis mixtus grandini & igni, notat crudelitatem hujus perſecutionis. Effuſio enim ſangvinis in Scripturis, inter crudelitatis eſt notas.

8. Periodus itaq; Chriſtiana prima, incepta cum initio eccleſiæ Chriſtianæ, ſive, uti Hofmannus in Chronotaxi, ex Apoc. 8. probat, anno aſcenſionis Chriſti in cœlos, hoc eſt, æræ Chriſtianæ trigeſimo tertio; non finitur, antequam ſupremus ſive imperatorius totius imperii magiſtratus, factus eſt Chriſtianus, atq; ethniciſmus perſequens Chriſtianos, in toto imperio, deturbatus eſt de ſolio & humi proſtratus, ſimulq; toto in imperio, ab ethnicis imperatoribus mota Chriſtianorum perſecutio ceſſavit.

9. Illud autem non eſt factum, ante æræ Chriſtianæ annum 324. Nam non eſt factum ante Licinium Imperatorem exauctoratum, imperioque exutum: quippe qui dum retinebat imperium, tum impediebat, quò minùs totius imperii poteſtas ad Chri-

ſtianos devolveretur, tum etiam Chriſtianos perſequi non ceſſabat. Licinius autem, uti Calviſius in Chronologia docet, ante annum 324 imperio non eſt ſpoliatus, exutusque: & perſecutio ab eo mota, etiam poſt illum annum 324 tantiſper durabat, donec nova de religionis libertate à Conſtantino edita edicta, ubiq; cœperunt obſervari.

10. Quæ cum ita ſint, prima periodus ante æræ Chriſtianæ annum 324 non eſt finita: & cum inceperit anno ejusdem æræ 33, annis 291 minor eſſe non poteſt. Nam detractis 33 annis de annis 324, non minus relinquitur, quàm anni 291.

11. Eadem periodus prima, non durat ulterius quam ethnicorum imperium, perſecutioq; ab eo mota durat. Nam ut antea numero 3. eſt oſtenſum, deſinit, cum ejecto ex cœlo & imperatorum ſolio dracone, humiq; proſtrato, in ejus locum puer maſculus natus, ad ſoliumq; Dei raptus, virgâ ferrea omnes incipit regere gentes. Id eſt, ut numero 4. 5. 6. & 7. eſt monſtratum, cum ethnicismus de ſolio imperii deturbatus eſt ubiq;: totiusq; imperii auctoritate & poteſtate ad Chriſtianos devoluta in toto quoq; imperio perſecutio Chriſtianismi ceſſat.

12 Eadem periodus prima, trecentis non eſt longior annis. Nam ut nulla mulier, ordinariè ultra decem menſes gravida eſt; ut ideo Maro, Matri longa decem tulerunt faſtidia menſes: ſic primæ periodo æqualis, graviditas Apocalypticæ mulieris, parturitioq; quam finit partus, edens & enitens prædictam numero 5. 6. & 7. prolem maſculam, ultra decem myſticos menſes, quorũ quisq; triginta com-

plectitur annos, hoc eſt ultra annos trecentos neutiquam duravit. Tum & ab anno æræ Chriſtianæ 33, quo prima periodus eſt incepta, numeratis annis trecentis, pervenitur ad annum 333, quo anno 333 ethnicum imperium ab eoq; mota perſecutio jam diu ceſſaverat, & jam diu totius imperii gubernatio ad Chriſtianum devoluta erat magiſtratum: nempe proxime poſt exauctoratum Licinium, quem anno 324 antea diximus exauctoratum imperioq; exutum id eſt novem annis ante annum 333. Si quis hic Juliani Apoſtatæ, Chriſtianos publice peroſi objecerit imperium, tanquam poſt exactos trecentos primæ periodi annos adhuc manens; ſiquidem Julianus anno 362. ſimul ut totũ occupavit imperium, odiũ minasq; in Chriſtianos publicitus eſt profeſſus: ſciat ejusdem Juliani publicum & manifeſtum in Chriſtianos odium, & cum odio illo manifeſto imperium, brevisſimum fuiſſe, & ne biennium quidem durâſſe; tum & ultra minas in Chriſtianos vix aut parũ proceſſiſſe: ideoq; illud ejus Chriſtianis inimicum imperium inter perſecutiones, à plerisq; non numerari, patresq; de eodem dicere, nubeculam tantùm quæ cito tranſiit, fuiſſe. Nubecula autem in clara luce pro tenebris & interrupto non habetur die. Manet itaq; ratum, quod periodus prima ultra trecentos non duraverit annos.

13. Numerus annorum ex quo tam primæ periodi quam reliquarum conſtat quantitas, exactè per ſeptem, ſive in ſeptem æquales partes, ut videtur, dividi poteſt. Nam ſeptem lampadum, quæ Zach. 4. v. 2. ſeptem periodos repræſentant, quælibet ſeptem habet cochlearia ſive infuſoria; id quod

haud dubie ſignificat, cujuslibet periodi ſeptem æquales fore partes.

14. Idem numerus annorum, in quavis periodo exactè quoque ut videtur, dividitur per ſex, ſive in ſex æquales dipeſci poteſt partes. Nam Apoc. 6. cuivis ſigillo adeoq; & periodo, ſuum alatum attribuitur animal: eorumq; animalium cuilibet ſex attribuuntur alæ, id eſt temporis moræ. Id quod oſtendere videtur, quamvis periodum in ſex etiam æquales dividi partes.

15. Characteres itaq; veri numeri, quô quælibet Chriſtiana periodus exceptâ ultimâ, continetur, ex hactenus dictis, hi quatuor eſſe reperiuntur: primus, ut numerus ille non ſit minor, quàm 291. ſecundus, ut non ſit major quam 300. tertius, ut in ſeptem æquales poſſit dividi partes: quartus deniq;, ut in ſex etiam æquales dividi, diſpeſciq; poſſit partes. Ex quibus quatuor characteribus duo primi exiſtunt certi, duo autem poſtremi, nempe tertius & quartus admodum probabiles veriſimilesque.

16. Ex cunctis autem hiſce characteribus ſequitur, verum numerum annorum, quô quælibet, exceptâ ultimâ, continetur periodus, non eſſe alium quam 294. Nam ſolus hic numerus 294. nec minor eſt quam 291. nec major quam 300. & tam in ſex quam in ſeptem æquales dividi poteſt partes. Ea quæ cuncta in nullum alium quadrant numerum. Aliter tamen atque aliter, hocce quod intulimus, nempe verum de quo laboramus numerum, eſſe 294, ex characteribus illis conſequitur. Nam ex duobus prioribus certò ſequitur, verum numerum non

non eſſe aut minorem annis 291. aut majorem annis 300, adeoque eſſe numerum aliquem interjectum inter 290, & 301. Ex duobus autem reliquis characteribus non niſi probabiliter conſequitur, eundem numerum, eſſe ita interjectum inter 290 & 301, ut ſit exacte 294. Duo enim illi poſtremi characteres, probabiles tantum, ut eſt antea dictum exiſtunt. Ex probabili autem non ſequitur niſi probabile, & conclusio, uti loquuntur, partem ſequitur debiliorem. Majoris tamen gradus hæcce eſt probabilitas, & tutior veriſimiliorq;: quàm, ullum alium numerum inter 290 & 301 interjectum, veræ hujus & quæſitæ quantitatis eſſe numerum: ſiquidem juxta hos duos ultimos characteres, propius S. Scripturæ verbis exiſtit, veræ quantitatis numerum dividi per ſex & ſeptem, quam per eosdem non dividi: & nullus alius inter 290 & 301 interpoſitus interjectus ita dividi poteſt, præterquam 294. Ubi enim res alioquin dubia & incerta eſt, probabilius & tutius eſt, ſe accommodare ad iſtud, quod Sacræ Scripturæ propius atq; conformius eſt, quam ad illud, quod ab ea remotius ejusq; dictis difformius & diſſimilius eſt:

Auctarium.

I. Apocalypſis partes duæ ſunt majores: quarum prior incipiens cum initio libri, abſolvitur in fine tubicinii ſeptimi, nempe capitis 11. vers 18. Poſterior autem pars incipiens verbis hiſce Apoc. 11. v. 19. Et templum DEI eſt apertùm &c. decurrit usq; ad finem ſcripti. In ptiori parte ſeries temporum exacte obſervatur, ſed ita, ut idem tempus

ſit epiſtolæ primæ, ſigilli primi & tubicinii primi: nec non epiſtolæ ſecundæ, ſigilli ſecundi atq; tubicinii ſecundi: & ſic deinceps: ſicut in Chronotaxi Hofmannus rectiſſime docuit monſtravitq;. In poſteriori autem parte, ſeries temporum non obſervatur, niſi in phialis. Cætera enim quæ in eadem habentur parte, tantum illuc referuntur, ut uberius explicent ea, quæ juxta ſeriem temporum partim in phialis, partim in tota parte prima proponuntur exhibenturq;. Ideoq; etiam illa, quæ extra ſeriem temporum in eadem poſteriore vel ſecunda occurrunt parte, ad cæterorum revocanda & reducenda ſunt ſeriem.

2. Periodi Chriſtianæ, in epiſtolis ſigillis & tubiciniis comprehenduntur: nempe ita, ut periodus prima inſit epiſtolæ primæ, ſigillo primo, & tubicinio primo: ſecunda autem periodus inſit epiſtolæ ſecundæ, ſigillo ſecundo & tubicinio ſecundo: & ſimiliter deinceps, in cæteris epiſtolis ſigillis atq; tubiciniis, cæteræ periodi: de quo vide Hofmannum. Periodi autem antichriſtianæ in phialis habentur continenturq;.

3. Antichriſtianæ periodi duplices ſunt, majores & minores. Majores periodi antichriſtianæ, ſunt unum tempus, duo tempora & dimidium temporis: de quibus legatur ante paucos annos impreſſa duarum plagularum Diſſertatio, quæ inſcribitur, Anonymi propoſitiones de propinquo Papatus interitu. Minores antichriſtianæ periodi ſunt phialæ ipſæmet. Majores autem & minores antichriſtianæ periodi, ita ſibi invicem reſpondent. *Prima* major periodus,

quæ

quæ unius eſt temporis, id eſt annorum 360, complectitur duas primas phialas. *Secunda* major periodus, quæ eſt duorum temporum, id eſt annorum 720, complectitur phialam tertiam, quartam, quintam & ſextam. *Tertia* deniq; major periodus, quæ eſt dimidiati temporis, ſive annorum 180, complectitur phialam duntaxat ſeptimam. Continet autem quælibet phiala annos 180 & univerſæ phialæ ſimul ſumtæ annos 1260: ſuper quibus plura in prædictis propoſitionibus de Propinquo Papatus interitu, legere licet.

4. Periodi Chriſtianæ incipiunt anno aſcenſionis Chriſti in cœlos, ſicut & Hofmannus in Chronotaxi probavit; deſinunt autem in fine mundi: quippe militantis eccleſiæ finem quoque & extremum complexæ. Periodi autem antichriſtianæ incipiunt, incipiente Papatus regno, nempe circa medium ſæculi quinti: quo tempore id regnum incepiſſe, Clüverus in Diluculo Apocalyptico & alii probarunt: deſinunt autem deſinente eodem Papatus regno, nempe non procul ab anno 1700: de quo dictæ Propoſitiones legantur: adeoq; in medio circiter periodi ſextæ Chriſtianæ.

5. Periodi antichriſtianæ & Chriſtianæ, in nulla fere circumſtantia concordant: quippe ab invicem diſcretæ tum quantitate, tum initio, tum fine, aliisq;. Ideoque Apoc. XI, v. 2. templi, id eſt eccleſiæ Chriſtianæ atrium exterius, quod gentibus per 42 menſes datur calcandum, id eſt ipſa ætas tota antichriſti regnantis, & in templo Dei ſedentis, ex cæteri templi calculo vel dimenſione ejici jubetur.

6. Duo teſtes, qui Apoc. XI. capite late deſcri-

buntur, ſunt prophetiæ veteris & Novi Teſt, de antichriſto. Ideo eadem periodus eis tribuitur, quæ antichriſto tribuitur regnanti; nempe dies prophetici 1260, id eſt totidem anni. Ideo etiam prophetare dicuntur coram Deo terræ: prophetant namque de antichriſto, qui ſe Deum conſtituit terræ, & ſedet in Dei templo, id eſt eccleſia tanquam Deus, uti eſt 2. Theſſ. 2. Stantes etiam coram eodem Deo terræ vel antichriſto, dicuntur iis 1260. diebus prophetare; quia his 1260. diebus prophetant coram antichriſto præſente & regnante ſive Deum terræ ſemet conſtituente. Coram iis enim ſtare dicimur, quæ præſentia habemus. Sic Anna 1. Sam. 1. v. 26. coram Eli Sacerdote ſtantem, ſe eſſe precatam dicit, quia in ejus præſentia id fecit. Parimodo Levitæ Num. 16. v. 19. dicuntur ſtare coram eccleſia & ſervire. Et Joſ. 20. v. 6. & 9. homicida coram conventu ſtare; nec non Apoſtoli Marc. 13. v. 9. coram regibus ſtare. In ſacco autem & quaſi velati & involuti, diebus illis 1260. hi teſtes prophetare dicuntur, quia interea temporis & dum antichriſtus regnat, prophetiæ de antichriſto, ſonabunt quidem audienturque ſed obſcure. Nec intelligentur, niſi præteritis illis propheticis 1260. diebus. Ideo etiam de toto phialarum tempore, quod illis propheticis 1260. diebus ſive totidem annis exacte reſpondet, Apoc. 15. verſu 8. dicitur, templum fumo gloriæ & potentiæ divinæ eſſe oppletum, neminemque ingredi potuiſſe in templum, id eſt intelligere potuiſſe Dei judicia, in eô fumô ſemet exſerentia (quomodo talis ingreſſus Pſalmi quoq; 73. v. 17. uſurpatur) antequam ſeptem phialarum finirentur plagæ.

SCHEDIASMA III.
Sive ultimum, Incerti auctoris, novam de MILLE ANNIS APOCALYPTICIS proponens ſententiam.

I.

AD hoc usque tempus, anni mille, de quibus Apoc. 20. agitur capite, ab interpretibus accepti ſunt de mille annis vulgaribus & quorum quisq; eſt duodecim menſium: idq; ita, ut illi mille anni, ſecundum quosdam ſint præteriti, ſecundum alios vero adhuc futuri Quarum ſententiarum utramq;, graves ſatis comitantur difficultates, quæq; earum de veritate meritò dubitare cogunt. Sententiam de mille annis vulgaribus jam præteritis hæc gravant: quod non conſentiat cum hiſtoria; quippe mille annos jam præteritos, qui ad vaticinium applicari poſſunt, neutiquam ſuppeditante: quod etiam eadem ſententia, hoſce mille annos incipiat, a parta per Conſtantinum Magnum religionis Chriſtianæ libera profeſſione; cum Johannes Apoſtolus Apoc. 20. eosdem potius incipiat a parta victoria de beſtia, id eſt antichriſto regnante, quæ beſtia, ſive antichriſtus regnans, tempore Conſtantini Magni necdum erat.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-357 8° 3506

2. Reliquam ſententiam de mille annis vulgaribus necdum inceptis & adhuc futuris inchoandisq; hæcce gravant. *Primum*, quod veri mille anni apocalyptici, finem regni Papalis præcedant, & ante ejusdem regni Papalis finem terminentur: Sanctorum enim atq; fidelium regnum, quod finito regno Papali adhuc erit, eſt æternum finemq; non habens, uti ex Danielis 7. verſu 18. & 27. liquet. Itaq; renum mille annorum, quippe quod non eſt æternum, finemq; habebit, non eſt illud regnum, quod erit poſt finem regni Papalis: ideoq; etiam ante finem regni Papalis terminabitur. Quod ſi autem ante finem regni Papalis terminabitur, atq; nondum, uti etiam ſtatuunt, eſt inceptum; utiq; Papatus regnum adhuc mille ad minimum annis durabit. Tamdiu autem Papatus regnum adhuc eſſe duraturum, eſt admodum abſurdum, & cum nulla Proteſtantium de duratione regni Papalis conſonat ſententia. Qui enim longiſſimè illud extendunt, ne quidem ad ſexcentos poſthac illud porrigunt annos: & qui diligentius rem excuſſiſſe videntur, ne quidem ad centum usq; futuros adhuc annos, idem regnum Papale producunt.

3. Alterum quod hanc poſteriorem gravat ſententiam, hocce eſt. Quod ſi mille anni vulgares, necdum incepti, in hocce intelliguntur vaticinio; utiq; mundus adhuc, mille ad minimum vulgaribus durabit annis: & cum annus æræ vulgaris nunc agatur 1695, mundus non finietur ante æræ vulgaris annum 2695: adeoq; tota ætas & duratio Novi Teſt. plusquam triens erit de totius mundi ætate & dura-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-357 8° 3506

duratione; quandoquidem nulli, qui Hebræis ex codicibus (de Græcorum enim erroribus non laboramus) ſummam annorum ante Chriſtum colligunt, ab exordio mundi usq; ad natales Chriſti, plus numerant quam quatuor mille annos & ducentos: quos annos quater mille & ducentos, ſi conſideraverimus, ut duas tertias de ætate totius mundi, pro reliqua tertia, ſive ætate mundi a Chriſto usq; ad conſummationem ſæculi, non prodeunt plusquam anni bis mille & centum, tanquam tertia & ultima pars de tota totius mundi ætate & duratione. Quam ſummam annorum bis mille & centum, anni prædicti 2695, quos pro ætate tota Novi Teſtamenti hæc requirit ſententia, ſexcentis circiter ſuperant annis. Adeoq; manifeſtum eſt, ſi mille anni apocalyptici, ſunt vulgares & necdum incepti, totam Novi Teſtamenti ſive ſub fœdere novo ætatem, ſexcentis circiter annis ſuperaturam eſſe trientem de ætate & duratione totius mundi. Id quod verum eſſe non poteſt, & eſt extra ſpem de duratione & fine mundi, quam ſacræ nobis proponunt literæ: quippe totam Novi Teſtamenti ætatem proponentes, ut eam in quam fines ſæculorum cecidere, ut noviſſimum tempus, ut noviſſimam mundi horam, & quaſi mundi veſperam: qualis noviſſima ætas & noviſſima mundi horá veſperaque, ultra trientem de tota ætate mundi porrigitur haudquaquam.

4. Quæ cum ita ſint, ſententias, quæ annos mille apocalypticos, de vulgaribus & duodecim ad minimum menſium capiunt annis, iis liquet premi difficultatibus, quæ ſuperari vix unquam poterunt.

Ideo-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-357 8° 3506

Ideoque vir quidam clariſſimus, ſed qui nomen ſuum hic ignorari voluit, & propterea à nobis Anonymus eſt appellandus, in longe aliam, eamq; plane novam de iis mille annis venit ſententiam, quam ex ipſiusmet conſenſu hic aliquantò latius proponemus. Mille iſtos annos ſtatuit non eſſe annos vulgares, ſicut & nulla cætera apocalypticis in prophetiis tempora, ut exiſtimat, ſunt vulgaria, nempe nec hora, nec dies, nec menſis, & omnia à vulgari temporum, ad Novi Teſtamenti ætates pertinentium uſu remota. Nempe eosdem mille annos, dicit eſſe menſtruos annos, ſine quorum quisq; unico conſtat vulgari menſe: & valere annos Julianos octoginta cum ſemiſſe fere. Præterea eosdem mille annos menſtruos, & qui Apocalypſeos regnum conſtituunt millenarium, à reformatione, facta per Lutherum & ejus in docendo ſocios, incepiſſe ſtatuit. Item eosdem mille annos circa initium hujus ſeculi decimi ſeptimi, ſive circiter annum 1600. deſiiſſe. Nempe ſi Reformationem incipias anno 1517, eosdem mille annos deſiiſſe anno 1598; ſin autem Reformationem incipias anno 1520, eosdem deſiiſſe anno 1601. Quæris, quod fundamentum Anonymus, hujuſce ſuæ novæ habeat ſententiæ? Reſpondet, fundamentum hoc eſſe, reliquas interpretationes non poſſe ſubſiſtere, & cum certum ſit, ut exiſtimat, eos mille annos, dudum eſſe elapſos, nullos alios in hiſtoria, mille reperiri annos, qui vaticinio apocalyptico ex aſſe concordant, præter hoſce memoratos annos mille menſtruos.

5. Ad particularia verò quod ſpectat, ait, animas eorum qui Apoc. 20. v. 4. necati dicuntur propter teſtimonium Jeſu, & qui non adoraverunt beſtiam, ejusq; imaginem, non eſſe diverſos ſed eosdem, & alterum explicare alterum. Itaq; Græci fontis verba ſic interpretatur. *Vidi animas interfectorum propter teſtimonium Jeſu & propter verbum DEI: nempe qui non adoravere beſtiam, neq; imaginem ejus, nec receperunt characterem* (ejus) *in fronte aut in manu ipſorum*: ſic ut particula Græca καὶ in verbis, καὶ οἵτινες οὐ προσεκύνησαν, ex ejus ſententia, ſicut alias ſæpe, hic quoq; idem ſit, quod nempe. Ideoq: etiam eos, qui hic dicuntur necati, propter teſtimonium Jeſu & propter verbum Dei, dicit eſſe, qui ita necati ſunt propter teſtimonium Jeſu & Dei verbum, ut ſimul necati ſint propterea, quod non adoraverint beſtiam aut ejus imaginem, id eſt majeſtatem & auctoritatem, quemadmodum & Pſal. 73. v. 20. nomen imaginis uſurpatur: eſſeq; illos, qui, quod & Philippus Nicolai libro 2, de regno Chriſti ſtatuit, necati ſunt à Papis & Romana Eccleſia, quod verbum Dei profitentes, Papis & Romanæ Eccleſiæ contrarium jubentibus, obſecundare noluerint, Papiſmique profeſſionem ſuſcipere detrectaverint; nempe eſſe Valdenſes, Wicleſiſtas & Huſſitas, aliosq; ſimiles, qui verbum Dei Evangeliumq; Chriſti profitentes ita ſemet geſſere, itaque a Romana eccleſia ſunt tractati.

6. Revixiſſe autem eosdem in Reformatione, quod & Daniel Cramerus in Notis Biblicis concedit, ſimul ait; idq; porrò eſſe factum, quatenus eorum doctrina

propter

propter quam necati ſunt, tunc revixit. Id quod in Reformatione contigit etiam revera Nam communis Valdenſium, Wiclefiſtarum & Huſſitarum verbo Dei conſentiens Papiſmoq; contraria doctrina, eadem eſt, quæ Proteſtantium communis Papismoque contraria, quæ in Reformatione emerſit doctrina. Ad regnum eos revixiſſe & judicium illis eſſe datum, ideo de ipſis ait dici, quod hæc eorum doctrina in Papiſtas omnino regnaverit atq; triumphaverit, & Papiſmum in dimidio circiter occidente proſtraverit. Eodem Reformationis initio, auctor hic anonymus, Satanam dicit ligatum, id eſt ligari cœptum, dum ejus doctrina, quâ ſeduxit Papiſtas, ſive Romanæ eccleſiæ membra, ligari & ſupprimi tunc cœpit. Sicut & tandem in dimidia circiter occidentis parte ſic ligata eſt atqve ſuppreſſa.

7. Porrò exactis ab initio Reformationis mille annis menſtruis, id eſt vulgaribus Julianisq; annis circiter octoginta, ſolutum denuo eſſe ſatanam, & denuo cœpiſſe gentes ſeducere, ſive ad Papiſmum reducere, inde ait cognoſci: quod circiter initium hujus ſæculi decimi ſeptimi, nempe circa annum ſive 1598 ſive 1601, inter quos & initium reformationis, mille anni interfluxerunt menſtrui, ſive octoginta circiter vulgares, revera hæc contigerint. Nam circa id tempus res Proteſtantium retro cæperunt ire & pluribus locis evangelicæ profeſſionis libertas minui quàm augeri, innumeriq; à Proteſtantibus ad Papiſmum deficere. Quippe eo tempore *Ferdinandus Dux Auſtriæ*, ut refert in Sleidano continuato Schadæus, in Chronologia Calviſius, & in hi-

ſtoria

ſtoria ſui temporis Thuanus, aliiq; plures, veritatem Evangelicam in Stiria & Carinthia cœpit opprimere, & tandem prorſus oppreſſit. Eodemq; tempore, Epiſcopus Genevenſis *Franciſcus Sales* florebat, quem Papiſtæ nominatim *Petrus Camuſius* in opere quod *Eſprit de Sales*, Genium Franciſci Sales, appellat, partis 14. capite 17 & partis 10. cap. 10. nec non *Nicolaus de Hauteville* in Octave de Sales, Octava Franciſci de Sales, jactant, ad plusquam quinquaginta millium Proteſtantium reductionem ad Papatum eſſe cooperatum. Eodem etiam tempore ille idem Franciſcus Sales; hominibus pervertendis ad Papiſmumq; reducendis, acriter quoq; invigilavit. Et ipſemet in Epiſtola ad Clementem octavum ſcripta anno 1603. (eſt epiſtola 2. in ejus libro 2. epiſtolarum) de ſucceſſu hujus ſui conatus & propoſiti, admodum gloriatur. Et inter alia, *Nusquam* inquit *ſvaviùs, nusquam efficaciùs hoc noſtro tempore, hæreticorum copia tanta, ad ſanam fidem eſt adducta.* Item; *Cum antea in tot parochiis* (ſupra dixerat Genevæ vicinioribus ſexaginta quinq; parochiis), *ne centum quidem Catholici apparerent, nunc ne centum quidem hæreticos videri.* Diſerte quoque memorat annum 1598, eoq; anno adeo feliciter ait ſucceſſiſſe negotium, ut Cardinalis Florentinus adveniens, multa jam hominum millia viderit eſſe converſa. Hæc *Franciſcus Sales.* Quanta vero mala ſecuta ſint hæcce, circa initium hujus ſæculi decimi ſeptimi erumpentia, religionis evangelicæ opprimendæ primordia: & quomodo ab eo usq; tempore, res Proteſtantium usq; decreverint, atq; in Auſtria, Hungaria,

Bohemia, Moravia, Sileſia, Palatinatu, Ducatu Neoburgico, Gallia, aliisq; locis, alibi lux evangelii ad angulum aliquem redacta, alibi penitus exſtincta ſit atque oppreſſa, hiſtoriarum peritis, anonymus ait neutiquam eſſe obſcurum.

8. Cenſet quoque, ſolutionem quatuor angelorum, de quibus in tubicinio ſexto, Apoc. 9. v. 14. agitur, ad Euphraten, id eſt Babylonis myſticæ fluvium vel vires multitudinemq; ligatorum, in eadem initia hujus ſæculi incidere: ſolutionemq; ſatanæ poſt mille annos & ſolutionem quatuor angelorum, unam eandemq; complecti hiſtoriam: eosdemque quatuor angelos eſſe Romanæ eccleſiæ clerum, maxime Jeſuitizatum, ſive Jeſuitarum vel caſtra vel artes in oppugnandis proteſtantibus ſequentem: & reductum ad ordines vel ſocietates quatuor, nempe Italorum, Hiſpanorum, Gallorum & Germanorum: Hibernis revocatis ad Hiſpanos vel Gallos: Polonis autem & Hungaris aliisque ſimilibus ad Germanos.

9. Sed & Gogum atq; Magogum, quos ſolutus Satanas, adverſus caſtra ſanctorum Apoc. 20. dicitur incitare, unà cum Dolingio in Antichriſto, Danhavero in Antichriſtophia & Turcico flagello, Papiſtarum atq; antichriſti cenſet eſſe catervam; nempe eſſe Romanam eccleſiam clericam laicamque. Rationes autem quibus adductus, Gogum atq; Magogum, Papiſtarum adeoq; antichriſti cenſet eſſe catervam, hæ exiſtunt. Primum inquit, ligatio Satanæ efficiens regnum millenarium, eſt ligatio cohortis Papiſticæ ſive antichriſtianæ, per eorum emergens regnum, qui non adoraverunt beſtiam ſive Papam; ceu ex Apoc. 20. v. 1. & ſequentibus liquet.

Si autem ligatio ſatanæ, hoc conſtituens regnum ſit per ligationem cohortis Papalis, utiq; ſolutio ſatanæ, in emergente rurſus Gogo & Magogo, eſt etiam in cohorte Papali: circa quod enim verſatur ligatio, circa idem verſatur ſolutio, & oppoſita ſunt circa idem. *Deinde* Gogi & Magogi perſecutio proponitur in Scripturis, ut ultima inter generales eccleſiæ Chriſtianæ perſecutiones. Apocalypſis enim poſt Gogum & Magogum, nullum generalem eccleſiæ memorat hoſtem, qui perſequitur eam. Et in Ezechiele capite 38. & 39. Gogus atque Magogus proponuntur, ut hoſtis generalis, qui in ultimis mundi temporibus eccleſiam ſit vexaturus. Talis autem eſt quoq; antichriſti ſive Papæ perſecutio. Daniel enim cap. 7. parvi cornu id eſt antichriſti, ut ab omnibus patribus explicatur, nempe Papæ, perſecutionem, ut ultimam inter generales proponit. Et Apocalypſis cap. 15. de phialis, quæ in beſtiam, id eſt Papatum effunduntur, dicitur, iram Dei nempe generalium perſecutionum iram, cum his plagis finem eſſe habituram.

10. Denique quod confeſſum eſt, Gogi & Magogi hiſtoria Ezechielitica & Apocalyptica eadem eſt, novis tantum circumſtantiis, quæ alterubi omittuntur, alterubi proponuntur, variata. Ezechielitica autem Gogi hiſtoria, porrò eadem eſt, atq; hiſtoria beſtiæ, ſive antichriſti id eſt Papæ, & Regum terræ Apoc. 19. cum ſedente Chriſto in equo albo pugnantium. Idq; docet utrobiq; facta avium ad edendas carnes principum invitatio, & ejusmodi alia. Ideo *Matthias Hoe* in Apoc. 19. ſuper iisdem pro-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-357 8° 3506

phetiis. Utrobique (inquit) Spiritus S. de extremo & finali interitu hoſtium eccleſiæ agit. Utrobiq; omnes aves accerſit: utrobiq; mentionem cœnæ magni Dei, ſeu victimæ, quam Deus immolat, mentionem facit: utrobiq; carnes comedi præcipit. Neq; (addit) obſtat, quod apud Ezechielem avibus beſtiæ adjungantur & non ſolum carnes comedere, ſed & ſangvinem bibere jubentur. Novum ſiquidem non eſt, quæ uno loco fuſius leguntur, ea alibi brevius referri, & vice verſa, uti ex plurimis S. Scripturæ exemplis manifeſtum evadit. *Sic Hoeus.* Itaq; Anonymus conſtare ait, beſtiæ & regum terræ pugnantium cum ſedente in equo Apoc. 19. hiſtoriam, eandem eſſe atq; Ezechieliticam Gogi atque Magogi hiſtoriam, & propterea eandem etiam eſſe atq; Apocalypticam Gogi & Magogi hiſtoriam eventumque, ſiquidem Apocalypſeos & Ezechielis hiſtoria Gogi atq; Magogi, ut antea dictum eſt, eædem quoq; exiſtant. Hiſtoria autem beſtiæ & regum terræ, pugnantium cum ſedente in equo Apoc. 19. juxta omnes ſaltem ſinceros Proteſtantes, eſt pugna antichriſtianæ adeoq; & Papalis cohortis cum Chriſto. Unde neceſſario infertur, Gogum & Magogum, de quibus Apoc. cap. 20. agitur, eſſe quoq; Papatum vel Papalem catervam. Atq; ſic Anonymus probat Apocalypſeos Gogum atq; Magogum, Papalem eſſe cohortem catervamq;.

11. Obducit tamen ſibi hanc contrariam objectionem; ſoluti per Gogum atq; Magogum ſatanæ hiſtoriam, juxta nonnullos, repræſentari in Apocaly[illegible]quam factam poſtquam beſtia ſive anti-

chriſtus

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-357 8° 3506

chriſtus, id eſt Papa, projectus eſt in ſtagnum ignis, adeoq; eſt oppreſſus: ſiquidem projectâ in ſtagnum illud cap. 19. beſtiâ, demum capite 20. proponitur hiſtoria ſoluti in Gogo & Magogo ſatanæ; & tandem ejuſdem capitis 20. v. 10 dicitur, diabolum, qui excitabat Gogum atque Magogum adverſus eccleſiam, projectum eſſe in ſtagnum ignis, ubi beſtia & pſeudopropheta, ὅπȣ θηρίον ϗ ψευδοπροφήτης, nempe erant. Si autem Gogi & Magogi hiſtoria non fit, niſi poſt oppreſſum Papam ſive antichriſtum, utique inde ſequi, Gogum & Magogum non eſſe Papalem catervam. Ita habet objectio. Solvit autem hanc objectionem ita. Ex antea dictis inquit, certum eſt, hiſtoriam beſtiæ regumque Apoc. 19. nec non hiſtoriam Gogi & Magogi Apoc. 20. eſſe eandem: neq; contrarium poteſt concludi ex eo, quod hiſtoria Gogi atq; Magogi proponatur poſt hiſtoriam beſtiæ vel antichriſti oppreſſi. Siquidem in prophetiis, veluti liquet ex ſomnio Gen. 41. de ſeptem vaccis & ſeptem ſpicis, eadem aliquoties iterari ſolent, & aliis atq; aliis viſionibus atq; imaginibus repræſentari. Idque etiam perſæpe in Apocalypticis fit vaticiniis, & ſi opus foret, multis quoq; poſſet probari exemplis; eſtq; à veteribus agnitum quoq;, & in iis etiam Auguſtino: quippe qui de civitate Dei libri 20. cap. 17. Apocalypſis, inquit, ſic eadem multis modis repetit, ut alia atq; alia dicere videatur, cum aliter atque aliter hæc ipſa dicere inveſtigetur. Ita Auguſtinus. Verba quoque illa ὅπȣ τὸ θηρίον ϗ ψευδοπροφήτης, ſive ubi beſtia & pſeudopropheta, quæ omnium confeſſione elliptica

ſunt, & quædam ad ſenſum neceſſaria omittunt; ſic quoq; inquit anonymus, ſuppleri & explicari poſſunt: ubi beſtia & pſeudopropheta dicta vel viſa erant conjici. Ex quo nihil aliud ſequitur, quam duas diverſas fuiſſe viſiones: ex viſionum autem diverſitate, rei & hiſtoriæ, argui non poteſt diverſitas: ſiquidem, ut & modò dictum, in Apocalypſi, ut & aliis in propheticis ſcriptis eadem diverſis ſæpe exhibentur repræſentanturq; viſionibus, imaginibusq;.

12. Atq; ſic anonymus non modo probat, Gogum atq; Magogum eſſe antichriſti ſive Papæ catervam, ſed & quæ alicujus exiſtentia momenti contra objici poſſunt, reſolvit. Porrò eundem Gogum cenſet quoq; eſſe, Papiſticæ ſive Romanæ eccleſiæ clerum, Magogum autem eſſe ejusdem Romanæ eccleſiæ laicos & maxime principes. Ideoq, & Gogum Ezechielis 38. v. 2. dici eſſe de terra Magog. Nam in Principum terris clerus Papiſticus hoſpitatur, ibiq; imperium habet in imperio: nempe maximam partem ſub principibus laicis & eorum protectione vivens, ſuum tamen peculiare habet imperium, non Principibus ſed Papæ ſubjectum. Idq; *Pallavicinus* in Hiſtoria Concilii Tridentini lib. 12, c. 13. monarchiæ Papali contendit conducere, & auctoritatē ſedis apoſtolicæ, ut appellat, ſuſtinere: cum in comperto ſit (addit) omne monarchiæ regimen, quô ſe illæſum tueatur, opus habere in ſingulis provinciis, aliquô prævalido præſidio ejusmodi ſubditorum, qui principi per ſe ac perpetuo illic dominanti nequaquam ſubjiciuntur. Sic ille. Adhæc idem Anonymus, Meſechum & Thubalum, quorum princeps Ezech. 38. v. 2.

v. 2. & cap. 39. v. 1. Gog eſſe affirmatur, duas præcipuas in Europa regnantes ſtatuit eſſe familias; quibus poſt Reformationem, & maximè poſt initium hujus ſæculi 17. ad exſcindendam multis in locis Proteſtantium religionem, Romanæ eccleſiæ clerus præcipuè eſt uſus; nempe domum regnantem Auſtriacam & domum regnantem Gallicam: Gogum autem ſive clerum dici earum familiarum principem, quia clerus eis imperat quaſi, & quia cleri voluntatem, ſi pace frui volunt, coguntur facere: cum eoque concordare ait, qvod Apoc. 17. verſu ultimo Babylon id eſt Romanæ ecclſiæ clerus, regnum dicatur habere in Reges terræ. Tantum de Gogo atq; Magogo.

13. Præterea quod mille anni menſtrui, tantundem ſint atq; octoginta circiter anni vulgares ſive Juliani, anonymus ſic probat. Decem menſes lunares, juxta tabulas aſtronomicas Ptolemæi, Alfonſi, Copernici atq; etiam Tychonis, continent dies 295, horas ſeptem & minuta prima viginti, cum unius ejusmodi minuti parte, ſive ut rotundemus numerum, minuta prima viginti & unum. Itaq; mille menſes lunares continent ejus centuplum, nempe dies 29500, horas 700, minuta 2100 hoc eſt dies 29530, cum parte diei, ſive ut rotundemus, dies 29531. Tot autem dies, conſtituunt annos Juliannos octoginta, cum ſuperfluis diebus 311. Ad ultimum annos menſtruos non eſſe figmentum quoddam, ſed verè quoq; fuiſſe olim uſitatos, variis auctorum probat teſtimoniis, qui eos olim fuiſſe receptos docuerunt. In quibus, *Plinius* hiſtoriæ libro ſeptimo, ca-

pite 48, *Eudoxus* apud Proclum in Timæum Platonis, *Diodorus Siculus* libro primo, *Varro* apud Lactantium libri ſecundi cap. 12, *Plutarchus* in Numa, *Macrobius* in Somnium Scipionis libri 2. cap. 11. *Suidas* in voce ἥλιος: & inter recentiores *Alexander ab Alexandro* in Diebus genialibus, libri tertii cap. 24. *Ludovicus Vives* in Auguſtinum de civitate Dei, libro 12. cap. 10. & *Lindenbrogius* in Notis ad Cenſorinum de die natali.

14. Hactenus ipſamet hæc nova auctoris anonymi, de mille annis apocalypticis ſententia, una cum ejus explicatione, nec non eorum quæ ad ipſam pertinent probationibus. Quia verò objectionibus quoq; nonnullis oppugnari tota poteſt, idcirco eas objectiones, idem anonymus ita & recenſet & reſolvit. *Prima eſt.* Quia ſatanas Apoc. 20. v. 3, poſt mille annos parvo tempore dicitur fore ſolutus, utiq; parvum illud tempus minus eſſe quam ſunt illi mille anni apocalyptici. At interpretando illos mille annos de mille annis menſtruis, ſive de octoginta circiter annis Julianis vulgaribusq;, parvum illud tempus, non evadere minus illis mille annis, ſed majus: quandoquidem inde ab initio usq; hujus ſæculi decimiſeptimi, quô millenarium regnum, per hanc novam explicationem ponitur finitum, & ſatanas eſſe ſolutus, præterfluxerunt anni Juliani pluſquam nonaginta, ſiquidem annum ſæculi jam numeramus 1695, & tamen ſatanas adhuc ſolutus eſt, & adhuc Romanna eccleſia, ad defectionem à veritate Proteſtantes ſolicitat. *Hactenus objectio prima.* Ad quam ita reſpondet; fundamentum ejus, nempe ſatanæ

tanæ ſoluti tempus, mille annis apocalypticis minus & brevius eſſe, falſum exiſtere, & in Apocalypſi non haberi. Apocalypſis enim inqvit, non definit, an ſoluti ſatanæ parvum tempus, illis mille annis ſive minus & brevius, ſive majus & longius exiſtat; tantum ſimpliciter dicit fore parvum. Id quod de utroque horum caſuum verum eſſe poteſt. Neq; aliud ex eo ſequi, ait, quod ſoluti ſatanæ ſpatium, ſimul memorando præcedentes mille annos, parvum dicatur. Nam *primo*, inquit mille anni ſunt quoq; parvum tempus. Ideoq; mille etiam vulgares anni Pſalmo 90, coram Deo dicuntur eſſe ut dies præteritus, & ut vigilia nocturna. Maximè autem mille anni menſtrui parvum ſunt tempus, quippe non longiores quam ordinarium vitæ humanæ ſpatium, octoginta præter propter, juxta Moſen Pſalmo 90, exiſtens annorum; humanæ autem vitæ ſpatium eſſe breve, alias quoq; dicit S. Scriptura, nominatim verbis Jobi 14, hominem de muliere natum brevi vivere tempore.

15. *Deinde*, inquit, alia quoq; occurrunt exempla, ubi pluribus temporibus memoratis & uno eorundem dicto eſſe brevi vel parvo, non tamen ſignificatur, reliquô id minus, brevius & arctius eſſe. Sic (pergit) Apoc. 12. memoratur tempus, quô draco in cœlo exiſtens, ſive per ethniciſmum Romanos occupans Imperatores, pugnat cum Michaele, id eſt Chriſtianos perſequitur; & mox ſubjungitur aliud poſterius tempus, quo draco depulſus cælo id eſt imperatoria dignitate dejectus ſatanas, in terris & mari adverſus veritatem ſævit: id eſt tempus, qvo poſt perſecutionem Chriſtianorum primæ-

vam

vam & per ethnicos Imperatores factam, ſatanas ſua per organa, uſq; ad finem ſive mundi ſive antichriſti, divinam oppugnat veritatem: idq; tempus poſterius dicitur fore parvum: nempe his verſus 12. verbis. Væ habitantibus in terra & mari, quia diabolus ad vos deſcendit, ſciens parvum ſibi eſſe tempus. Et tamen certum eſt, poſterius idem ſatanæ tempus, poſt ethniciſmum ab imperatoria ſede depulſum, graſſantis, veritatemq; oppugnantis, non brevius eſſe tempore, quo per ethniciſmum Imperatorum Chriſtianos perſequebatur. Nam perſeqvutio Chriſtianorum ethnicos per Imperatores, ultra tria non duravit ſæcula: cum reliqua graſſatio ſatanæ poſt finitam illam perſecutionem, multo longior ſit, & jam plus tredecim duraverit ſeculis. *Præterea* monſtrat, in vulgari quoque ſermone ſimiliter tempora commemorari brevia, ut tamen ideo non intelligenda ſint breviora, iis cum quibus ſimul commemorantur. Sic ait, qui, exempli gratia, Gandavi commoratus eſt triduo, & Bruxellis quatriduo, verè dicere poteſt, Gandavi eram triduo & Bruxellis etiam parvo tempore, & tamen non ideo dicit, ſe breviori vel minore tempore Bruxellis quam Gandavi fuiſſe. Similiter, inquit, ſi de malefico capitis damnato, qui poſt condemnationis ſententiam, ſex diebus fuit in vinculis, & deinde octo diebus usq; ad ſupplicium, vixit ſolutus vinculis, dixero, ipſum ſex diebus fuiſſe in vinculis, & poſt illos ſex dies, parvo temporis ſpatio, vinculis ſolutum usq; ad mortem vixiſſe, verum dico, & tamen non ideo, inquit dico, breviore tempore ipſum ſine vinculis, quam in vinculis fuiſſe.

16. *Altera* & reliqua objectio hæcce eſt, *anni* vocem, alibi in Apocalypſi, nempe verbis capitis 9. v. 15. de paratis ad horam, diem, menſem, annum angelis, non accipi de anno menſtruo, ſed de anno multo longiore quàm menſtruo: ideoq; nec in mille annis apocalypticis, eam vocem menſtruum notare annum. Ad quam objectionem reſpondet, *primò* voces in Scripturis ſacris maxime in propheticis & ænigmaticis ſcriptis, qualis Apocalypſis eſt, ſæpe variare ſignificationes, nec ſemper eodem accipi modo. *Deinde* non eandem vocem anni Græcam, citato loco Apoc. 9. reperiri, quæ reperitur in mentione annorum mille Apoc. 20. Priore loco uſurpari vocem ἐνιαυτοῦ, quæ proprie ſumta non niſi longiorem notat annum. Ideo Euſtathium in Iliados beta pag. 191. notare ἐνιαυτὸς eſſe ab ἰαύω moram facio, & ſignificare tempus non breve ſed longum: & in Odyſſeam p. 1384. ſimilia repetendo addere, Comicum ideo dicere, ἐτῶν χρονίους ἐνιαυτοὺς id eſt ἐτῶν longos ἐνιαυτούς. Poſteriore autem Apocalypſeos locô, quô de mille agitur annis, nempe cap. 20, longe aliam anni uſurpari vocem Græcam, nempe ἔτος, illamq; eo capite ſexies ſuper eodem negotio uſurpari & nullam aliam. Vocem autem ἔτος, etiamſi interdum confundatur cum ἐνιαυτὸς, accuratè tamen & proprie uſurpatam, notare quemlibet annum ſive brevem ſive longum, habereque ſe ad ἐνιαυτὸς, ut genus ad ſpeciem: ideoq; etiam de brevi & menſtruo anno generaliter indicando uſurpari: veluti ab Ægyptiis ſacer-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-357 8° 3506

dotibus apud Diodorum Siculum libro primo dicentibus, usq; ad Alexandri in Aſiam tranſitum, tempus fuiſſe ἐτῶν δισμυρίων καὶ τρισχιλίων viginti & trium millium ἐτῶν ſive annorum: item antiquiſſimos Deorum regnaſſe πλείω τῶν χιλίων καὶ διακοσίων ἐτῶν plusquam mille & ducenta ἔτη ſive annos: quorum utrumq; anonymus de annis menſtruis ait intelligendum, idque nonnullos quoq; apud Diodorum agnoſcere. Sic & Plutarchum in Numa, poſtquam dixerat, à veteribus ad genealogias, incredibilem τῶν ἐτῶν referri numerum, addere id ideo fieri, quod menſes quoq; in ἐτῶν ſive annorum numero ponant. Quæ aperte, ait, docent, vocem ἔτος tam laxam eſſe, ut brevem quoque & menſtruum poſſit denotare annum, cum ἐνιαυτὸς non niſi longiorem, ut dictum eſt, deſignet. Ita anonymus, objectiones contra novam hancce, de annis mille apocalypticis ſententiam, ſolvit refellitque: nihilq; impedire dicit, quò minus admitti tutò poſſit. Se tamen cum nemine ſuper ea litigare & altercari velle: ideoq; & nulli eam obtrudere, aliisq; doctioribus judicandam committere libenter.

Tantum.

INDEX.

Schediaſm. I. De Hofmanni & aliorum recentiorum in Apocalypſin ſcriptis, p. 1.

Schediaſma II. De vera quantitate Chriſtianarum in Apocalypſi periodorum, p. 11.

Schediaſma III. Nova de annis mille apocalypticis ſententia, p. 23.

Errata ſic corrigenda.

Pag. 8. lin. 24. lege, tantum.
Pag. 18. l. 6. diſpeſci.
Pag. 26. l. 13. ſive.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-357 8° 3506

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-357 8° 3506

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-357 8° 3506